











Faint, illegible text visible through the paper, likely from the reverse side of the page.

RECTOR  
 ACADEMIÆ WITTENBERGENSIS,  
**JOHANNES**  
*Deutschmann*  
 SS. THEOL. DOCT. ET PROF. PUBL.  
 FACULT. SUÆ SENIOR, ET ALUMN.  
 ELECT. EPHORUS,  
*CIVIBUS ACADEMICIS*

S. P. D.

Faint, illegible text visible through the paper, likely from the reverse side of the page.





Ulla quidem non tempeſtas anni efficacia  
mortalitatis noſtræ nobis monimenta,  
ſuggerit; ſi tamen cum vernali tempore,  
vel æſtate, vel auctumno conferamus ra-  
tiones, plura longè, præter frigus horri-  
dum, diei brevitatem, & ſimilia argumenta Hyems  
exhibet. Colores omnes induit Ver floribus per hor-  
tos, prata, ſylvas; ſed quamdiu hæ deliciæ perdurent,  
una ſæpenumerò calamitas, uredo, Boreæque incle-  
mentia teſtatur. Gramen cum ariftis documento eſt,  
quàm facilè flacceſcat, quod ſuperbiebat, ante falcem.  
Sola, quæ nunc oculos vel hebetat albedine, vel in ſtu-  
porem agit, nix identidem convincere mortales inco-  
ſtantiaæ conſtantis poteſt. Quid niſi ſubtiliſſimè ex-  
tenuata glacies, in aëre formata nix, in aquam illicò  
mutabilis, calore accedente? Cogita, te nivem eſſe,  
homo, animal ſuperbum; aut fragilius quid nive! Ni-  
ves annuas in montium editiſſimorum jugis, aut con-  
vallibus profundis, imò & perennes Hyperboreis in tra-  
ctibus ac Alpibus Helveticis quibusdam deprehendi,  
docuit experientia. Ephemeron quandoque ani-  
malculum eſt infans, nec attingit pueritiam. Quot  
millia vel uno die prælium exhaurit, & proſternit! Ad-  
de ortas ab affectibus viciffitudines, fortunæ nover-  
cantis impetûs, morborum ſemina, quæ circumferi-  
mus nobiſcum, quò nos vertimus; videtur homine  
nix durabilior interdum; quæ in glaciem, ex hâc in-  
ſaxum penè, aut cryſtallum obrigeſcit. Memorabile  
nimirum eſt, quod in *Helvetiæ curioſæ* prodidit Histo-  
ria *Vagnerus* de inveterata, ut vocatur, glacie, quæ  
in excelfis Alpibus communem exiit naturam, & du-  
ritiem cryſtallinam, tot annos, & tantùm non ſecula  
perennando induit, ut à Solis æſtu nunquàm ferè con-  
ſumatur; ſed excreſcat in immenſos intractabilesque  
cumulos. Nix cum ex aqua ſit, & reſolvatur denique  
in aquam, hominis originem indiciis haud fallacibus  
indi-



indigitat: *terra es, in terram reverteris, corpus.* Nix  
colorem repræsentat candidum, à luce ortum; homo  
sæpiùs ruborem vividum mentitur; sed in ipso vitæ  
domicilio examen hospitatur vermium.

*Floris ad exemplum rubicundi KNORRIA Conjux*

*Floruit, ut posset vel superare rosas.*

*Quarta dies lapsa est, quæ sanam vidit, & ægram,*

*Et vitâ functam: siccine nil stabile est?*

Auram vitæ hujus hausit Ornatissima Fæmina *Bocha-*  
*vii*, in Jütrebocensi præfectura, die XX. Augusti, horâ  
matut. V. Anno clō Ioc XXXIX. Patre genita Per-  
reverendo Viro, STEPHANO KRÖERO, Pastore  
loci dudum bene merito, Matreq; sexûs sanguinisque  
fui commendatione clarâ, MAGDALENA CALO-  
VIA, Ecclesiastæ *Longolipsdorffensis*, nec non *Kerbi-*  
*censis* filia. In fonte sacro retulit maternum MAGDA-  
LENA nomen: Patre quidem, antequàm in lucem ede-  
retur, fato miserabili, orbata, Genitricis tamē curâ pro-  
vidâ ad pietatē & virtutes, muliebri generi decoras, &  
à Vitrico Clarissimo M. WOLFGANGO SCHMIDIO,  
*Zinnensi & Grünensi* olim fidelissimo Pastore adolevit.  
Artibus familiæ regundæ apta visa Anno clō Ioc LIX.  
vicefimo ætatis suæ, nuptum data Viro est Amplissimo,  
CHRISTIANO GVILIELMO HÜLSIO, Cœnobii  
Brandenburgici *Zinnensis* à rationib9 Præfecto; quem  
intra annum nihilominùs amissum luxit acerbissimè.  
Elapso inde quadriennio, cùm appareret perdifficilis  
viduitas, ad secunda vota maluit transire, dum connu-  
bio solenni ritu jungeretur DN. GOTTFRIDO MÜL-  
LERO, Electoralis prædii vicini *Bläserensis* tùm Oe-  
conomo vigilantissimo, deinde Senatori apud nos op-  
pidano prudentissimo, æstate Anni clō Ioc LXIV. me-  
diâ. Fœcundum equidem satisque diuturnum atque  
ex optatis fuit hoc conjugium, susceptis VII. liberis,  
duobus intra partitudinem elisis & anonymis, sed  
GOTTELOB GVILIELMO, AUGUSTO GVILIELMO, atque  
CHRI-



**CHRISTIANO FRIDERICO** filiis, duabus filiabus, **CHRISTIANA MAGDALENA**, & **JOHANNA MAGDALENA**, iterum turbato ordine, elatis à Parentibus. Secundum, non secundam verò sorte, altero marito viduata, Anno clò lbc **XXCV.** molestiis curisque, propter rationes censùs nummularii vexata, & perosa statùs solitarii, biennio exacto tertium addixit Sponso fidem, Viro Consultissimo, **DN. CHRISTOPHORO KNORRIO**, Tabulario Cæsareâ auctoritate, Jurium dexterrimè perito, & Novembribus Kalendaris, **A. XXCVII.** consummavit. Quo cum, licet sterilis, ex voto interim transegit vitæ dies. Vigil ac sollicita administrandæ domûs, cultu ac amore deditissima Marito, laudum numeros implevit omnes, sive pietatis exercitia, seu in adversis patientiam, seu liberalitatem erga pauperes quis æstimet. Sacrorum certè curam principem constanter habuit, officiosa bonis extitit, morosa atque gravis nemini. Nec plura tangimus; cum reliqua decantet civitas. Suprema igitur adjicienda. A laboribus parturiendi, præter ordinarios dolores, jam à multis annis, mala multa pertulit, cardialgiam, punctiones, variosq; sæpè cruciatûs. Lassitudo inde frequens & prostratus appetitus. Aer quoque frigidus incommodum non unum advehebat. Ante dies quasi undecim dejectione virium ad lectulum adacta quidem, transcuram tamen brevi credidit nubeculam. Res aliter evenit: ante ipsum enim hoc octiduum, sub tempus vespertinum, acutissimis ex inferiori ventre pertentata est anxietatibus; & inde Medicus ad ferendam imploratus opem illi adfuit Experientissimus **DN. D. VATER**, Gener, Compater, & Collega noster conjunctissimus, Prof. P. Ordinarius, & Provincialis benè meritus, qui nihil operæ consilii que intermisit. Sed plus doctâ arte malum valuit. Hoc observato, potiore animæ sollicitudinem suscepit ægra, & ad obitum beatum cogitatione omni desiderioq; ferebatur precibus hymnisq;. Apparuerat & Venerabilis, quem à confessionibus privatis habuit, Sacerdos Senior, **DN. M. FABRICIUS**, præclare meritus Archidiaconus, qui divinis ad æternam gloriam solatis poenitentem animum, ob vitæ crimina, erexerat. Nudius id quintus factum. Dici interim haud potest, quantâ & religione, & constantiâ permanferit ad vitæ halitum supremum, cum memoriam sui commendasset optimam Marito dilectissimo, & in amplexu ejus molliter acquievisset; posteaquàm Annos interfuerat mortalitati **LIII.** hebdomad. **XXI.** cum modico excessu horæ ac diei. Efferetur hodiè post **I.** pomerid. ex relictis ædibus, sepelienda intra Templi Mariani ambitum, decoris ritibus. Vos, **CIVES ACADEMICI**, ornabitis frequenti comitatu funus; memores, humanitatis partem esse, ut, quæ tibi velles præstita, non neges alteri, officia.

**P.P. a. d. XIX. Januar. Anno salutis reparatæ clò lbc XCIII.**











Ang VI 3

WD 18  
Vb 17









CTOR  
 WITTENBERGENSIS,  
 ANNES  
 tschmann/  
 OCT. ET PROF. PUBL.  
 SENIOR, ET ALUMN.  
 T. EPHORUS,  
 ACADEMICIS  
 S. P. D.